



## The Holy See

---

**PAULUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *SPALATENSIS - MACARSCENSIS* \***

DIOECESIS MACARSCENSIS DIOECESI SPALATENSI IUNGITUR

ET AD GRADUM METROPOLITANAE EVEHITUR,

NOMINE «*SPALATENSIS-MACARSCENSIS*». Qui vicariam in terris Christi potestatem obtinemus eiusque sanctae Ecclesiae gubernandae munus habemus, studium omne et voluntatem pro viribus collocamus ut, opportunis inchoatis, fideles foveamus. Qua de re, cum Conferentia Episcoporum Iugoslaviae accedendum esse censuerit sententiae venerabilis Fratris Francisci Franić, Episcopi Spalatensis et Macarscensis, posse videlicet Macarscensis dioecesis Sedi Spalatensi iungi novaque ibi locorum provincia ecclesiastica excitari, idque ut fieret ab Apostolica Sede petendum sit, Nos, audito venerabili Fratre Mario Cagna, Archiepiscopo titulo Heracleensi in Europa et in Iugoslavia Apostolico Delegato, suprema Nostra potestate sequentia decernimus atque iubemus. Dioecesim Macarscensem unione ut dicitur exstinctiva coniungimus cum Spalatensi ita ut haec in posterum *Spalatensis-Macarscensis* appelletur, eamque ad gradum et dignitatem metropolitanae attollimus, cum iuribus et privilegiis quae archiepiscopalibus et metropolitanis Sedibus competunt. Nova proinde provincia ecclesiastica constituitur, cuius metropolitana erit Spalatensis-Macarscensis Ecclesia, suffraganeae autem, dioeceses Ragusina, Sebenicensis, Pharensis et Catharensis, adhuc Apostolicae Sedi directo subiectae. Earundem vero dioecesium Episcopi metropolitani iuri Archiepiscopi Spalatensis-Macarscensis obnoxii erunt. Decernimus praeterea ut venerabilis Frater Franciscus Franić, hactenus Episcopus Spalatensis et Macarscensis, primus fiat Spalatensis-Macarscensis Archiepiscopus Metropolita, cum iuribus et obligationibus congruis; ut eiusdem Sedis Canonicorum collegium titulo metropolitani decoretur suisque iuribus fruatur, in eoque nova dignitas constituatur, archidiaconatus nuncupanda, atque duo alli canonicatus; ut tandem Canonicorum collegium concathedrale Macarscense dehinc titulo collegialis ornetur. Ad haec perficienda studeat venerabilis Frater Marius Cagna, quem diximus, vel ab eo delegatus sacerdos; qui vero negotium perfecit congrua documenta exaranda curet ad Sacramque Congregationem pro Episcopis quam primum ea mittat, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus.

Nemini praeterea haec voluntatis N ostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die septimo et vicesimo mensis iulli, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri septimo.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA <i>S. R. E. Cancellarius</i>	CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. pro Episcopis Praefectus</i>
--	---

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Ioannes Calleri, *Protonot. Apost.*

Eugenius Sevi, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXII (1970), n. 4, pp. 197-198 © Copyright 1969 - Libreria Editrice Vaticana